



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

A viro magno dissensum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

quam notasset adduci ipsi firmitudinem portarum & obicum, ut non possint ulla vi perumpi & refringi, quem sensum hujus loci superius refutavimus, alios addit calceamentum interpretari & referre ad verba quæ in eodem libro leguntur: *Calceus tuus* Deut. 29. 5 *vetustate non fuit corruptus. At posse videri calceamentum ferro supposito significare superationem difficultatum, ut qui in spinis & scrupis & muricibus ambulat. Scil. vir magnus hoc de calceamento ferro supposito sumit, quem significare putat superationem difficultatum. Eadem* Cocc. in Lex. Hebr. ad vocem *לְיָד* *sensus, inquit, dabo tibi ambulare in securitate, ut pedibus tuis nulla noxa accidat, quasi ferro & ære calcatus esses.*

X. Ab hac viri magni expositione cogimur etiam dissentire. Nihil dicimus de ea interpretum sententia, qui referunt ad illud quod in Deuteronomio legitur, de calceis qui vetustate non fuerunt consumpti: Id enim prorsus huc non facit. At quod vir magnus de calceamento ferro supposito interpretatur, merito dubitamus an

admitti possit. Caligas ferreis atque æneis clavis fuisse subpactas res est certa. An vero hic usus antiquissimis temporibus inter Hebræos usitatus fuerit nescimus. Sed in usu hominum calceamenta ferro suppacta fuisse extra militiam, non credimus. Roganti Nicobulo *divesne esset istic Theozimus* apud Plautum servus respondet,

Plaut.  
Bachid.  
Act. 2. Sc.  
3. vs 98.

— *Etiam rogas?  
Qui auro habeat soccis subpactis  
solum.*

Scilicet luxus veterum divitum etiam in eo fuit, ut clavis argenteis vel aureis soleas suppingerent, uti jam dudum monuit vir incomparabilis Isaacus Casaubonus. At qui ferro vel ære haberet soccis subpactum solum, non credo facile ostendi posse. Hoc vero necesse esset ut extra militiam habuerint veteres ferro suppacta calceamenta, siquidem ad ea allusifet Moses, cui calceus ferro suppactus significaret superationem difficultatum, aut quod ambularent in securitate. Ne dicam de calceamento ferro suppacto exponi non